



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Gvillelmi Postelli De Repvblica

Postel, Guillaume

Lvgdvni Batavorvm, 1635

Cap. XVIII. De lexiarchicis, peripolis, & Ephebis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

De Lexiarchicis, Peripolis, & Ephēbis.

C A P. XVIII.

QUONIAM iam ante in Demarchorū muneribus mentionem de iuuenibus feci qui in diario quod λεύκωμα, id est album, & λεξιάρχικόν vocant, inscribi solebant: de illis nunc sermo est absolvendus. Antequam ἡ λήξεων ἕρπον, id est, rei hæreditariæ potestatem haberent, biennium solebant circumire regiones limitaneas veluti tyrocinia armorum meditando: tuncque à decimo octavo ætatis anno, quo ex ephēbis excedere mos erat, ad vigesimum vocabantur περιπολοι, id est, circumitores, & ἕφοδοι ob ætatem, ἕφοδοι, ob viam, & peregrinationem in qua versabantur etiam ἡ χώρας ἐπίσκοποι, regio-

g. de
σιπ
aca-
lege
an-
niæ
uod
dam
cur-
dif-
rum
qui
ra-
oco
um
rfu-
ex-
ifi-
m-
ie-
um
oi
m
fot

-αυρ K 5 regio-

154 DE REPUBLICA
regionis inspectores, non veluti
magistratus, sed ut quum ingruere
necessitas, essent regionum
viarum, & locorum periti. Exa-
cto demum biennio, veluti in
præmium laborum dicebantur
ἀρχιῆρχοι, qua iam dixi ratio-
ne. ἀρχῆν enim Græci ἐκ τῆς ἀρχῆς,
id est, a desinendo, hæreditatem
dixere, quod scilicet statim ab
uno in alterum desinat. Alio-
qui (ut ex Isæo notavit Harpo-
cration) ἀρχῆς unitatis numero
τῆς ἀρχῆς, id est, accusationem
significat. Facta illis facultatum
potestate, insiurandum istud,
quum inscriberentur, in Agraulo
loco subdiali præstare solebant.
Iuramentum Lexiarchicorum:
Armorum nunquam me pude-
bit. Ducem cui semel addictus
fuero, nunquam relinquam. Pro-
aris, & focus solus, aut cum pluri-
bus decertabo. Patriam dete-
riorem non reddam. Adversus
quan-

ATHENIENSIVM. 155

quancunque regionem decer-
 nar, navigabo. Assentiar æter-
 nis iudiciis æquitatis, sacrisque
 iam receptis parebo. assentiar
 his etiam summa pace quæ plebs
 sancte sanxerit. Quod si quis
 legibus non paruerit, easque
 evertere volet, non permittam.
 vindex vero seu solus, seu cum
 multis ero. Sacram patriam
 semper colam. Hos hodie De-
 marchos, seu *οἱ δὲ λακώματι τὴν
 νῆα ἐξήραφοντες* duplici in offi-
 cio Turcæ habent. nomine vide-
 licet Principis, & militum. No-
 mine quidem Principis tertio
 quarto, aut quinto quoque an-
 no, pro bellorum usu singulis in
 vicis, & urbibus colliguntur ab
 eius iuvenes ex toto loci unius
 grege una composito, ut facilius
 sit in turba electio, pro virium
 corporis, & formæ ratione: qui
 delecti ea lege ne una domus
 duos fratres exhibeat ad id mu-
 nus,

156 DE REPUBLICA
nus, conductique Constantino-
polim, ubi nunc regia est, in tres
classes rediguntur. Quos for-
ma naturæque indoles præstan-
tior ornat (quod in primis phy-
siognomiæ periti in eam rem
delecti curant etiam in primo
delectu) hos Princeps seorsum ad-
hibitis doctis præceptoribus for-
mandos in re literaria ad persua-
sionis usque notionem, & re mi-
litari curat, donec nati sint ut
minimum xx. annos (nam quum
eliguntur primo, ex ephebis ex-
cessisse non licet, si in hunc nu-
merum sint adscribendi) tum sa-
tis exercitati nobilitate donan-
tur, equitesque trium generum
fiunt, Spachi, Seliçtari, Uluphe-
gi. Secundi ordinis, Principis
hortos, quorum non tantum
ipse, sed & tota Turcia est stu-
diosissima, colunt, biremesque
quibus Princeps vectari in mari
solet, agere Constantinopoli;
quum

quum Princeps adest, solent.
Tertius ordo, infœlicium plane,
datur divitibus, Principibusque
viris, qui illos non raro totos
octo annos durissimis exercent
laboribus, interim ægre naturæ
illorum, tenuissimeque satisfa-
cientes, donec quadam virtute
Principibus, ducibusque belli in-
notescant, militumque numero
adscribi soleant. qua arte effe-
ctum est, ut perpetuo milite
abundet Turca. Nec vero tan-
tum ad hæc munia deliguntur
quos parit Græcia, sed & bello
capti, emptitii, quacunque arte
comparati, modo non sit inepta
ætas, solent eum augere nume-
rum, sensimque crescendo, qui
non statim munus equestre con-
sequuntur, fiunt Imghitzeri, inde
Solachi, custodiæ Principis in-
vigilantes: postremo aut equites,
aut maioris muneris, donec rude
donentur. Delectus Principis
ita

ita habet. Ut vero tam ingenti
 perpetui militis numero parata
 sit pecunia, habent & suum dele-
 lectum, quos iam bene gestæ rei
 fama evexit. Nam ut præsens
 est apud Turcas pœna socordi-
 bus alas ad virtutem facere soli-
 ta, ita præclarum aliquod facinus
 aggresso statim præmium adest:
 quæ ipsa sunt duo maxima virtu-
 tis excitandæ fundamenta. Præ-
 ter decimas, quibus olim ecclesia
 Græca dotari potissimum sole-
 bat, etiam militibus, hisque quos
 Princeps evectos cupit, militia-
 que paratos, masculæ ætatis in
 universis Provinciis, quemque
 tamen suo iure, ius inquirendi est
 permillum, ut quotquot ex ephe-
 bis excedunt, & ut proprie magis
 Græce efferam, *αρεματιζοι*,
 quotannis 25. aspra persolvant:
 qui uxorem duxere, xxx. quæ
 industria facile trecenta homi-
 num millia quotannis alit. Indi-
 ctio.

Etio sola venit ad Principis æra-
 rium. Cætera, quomodo scili-
 cet possit dignosci qui ad nubi-
 lem accessit æratem, acceptique
 & impensi rationes omnes tra-
 ctavi in secundo rerum Turcica-
 rum libro. Sed nimis sum di-
 gressus ab incepto ἡ ληξιαρχικῶν.
 Hoc nomen fuit sexviratus, cui
 potestas erat quoties magna co-
 gerentur, eligendi xxx. viros
 subadiuvas, qui omnes funiculo
 cinnabari tincto populares in au-
 diendis legibus, senatuque ad-
 eundo socordes impeterent, no-
 tarentque: qua nota per negli-
 gentiam accepta mulctabantur:
 unde parœmia de illis efferri soli-
 ta qui pœnæ timore non amore
 virtutis in officio essent, ἀρετίαν
 φεύγουσι μεμιληταμένον, id est, Fu-
 niculum fugiunt minio, rubrica-
 ve tinctū, aut ut Erasmus vertit,
*Vitant sinopi collitam vestim
 rubra.*

Tale

Tale genus hominum frequens
in urbibus est, quos nisi vis le-
gum, magistratusque diligentia
coërceat, in officio nunquam
contineas. Aristoph. *ἐν ἀχαρ-
νεύσι*,

*Οἱ δ' ἐν ἀχαρῶν λαλῶσι, κἄνω καὶ
κάτω
τὸ χοινίον φέρουσι τὸ μεμιλτω-
μένον,*
id est,

*Illi in foro nugantur, ac modo
huc, modo illuc*

*Funiculum fugiunt cinnabari
tinatum.*

Ab hac dictione *χοινίον* quo-
niam multa verba scitu non in-
digna, à nemine (quod equidem
viderim) explicata, veniunt, vi-
sum est ea addere, explicareque.
χοινίον itaq; est circumscribere,
finire, dividere, solum dimetiri,
veluti in locorum, finium, hære-
ditatisve designatione agrimen-
sores solent: qui etiam loquendi
modus

modus Hebræis, atq; Chaldæis (à quibus ut disciplinarum, linguarumq; primis authoribus Græci multa accepere) est familiaris, ut

חבלים נפלו לי בנעימים

Chabelim naphlu li banehimim.

i. Funiculi acciderunt mihi pro votis. aut ut vulgata habet editio, Funes ceciderunt mihi in præclaris. quæ vox prophetæ regii est, adferentis nil sibi non futurum gratissimum, quod Deus præscripserit, Verum de illis locutionibus ample scripseram antequam nostræ tractationes de linguarum varietate, ac noster de originibus liber ederetur: quæ quum extorquerentur ista magis quam prodirent, visum est servare in alium locum, περιχινίζω item circumscribere significat, inque unum ducere. Pollux Τὸ ἵδιον ἄριστον (τὸ ἐν ἡλιαίᾳ) περιχινίζω ἔμὲν βασιλέως ἀρσάκειον τῶν, ἃ δεσμεύονται

L

πλη.

ελληρέντων, καὶ τὰ λοιπὰ. Tribunal vero Hæliæum circumscri-
 bebatur rege quidem id iubente,
 thesmothesis autem implenti-
 bus. Quinquagintaque pedes
 illa circumscriptione distat à iudi-
 cum loco, ut ministri subsisten-
 tes observarent ne quis adesset
 qui iusiurandum non præstitisset.
 Valuæ porro iudicii vocabantur
 κινκλίδες, non absimiles illis
 quas κινκκλάτας dicunt. De-
 mosthenes κτ' ἀριστογ. ὡν ἐν ἡ δὺο
 ἔρω παραδείγματ' ἕνεκα τὰ γνω-
 ριμώτατα· τὸ πρῶτον βελίω τὲς πεν-
 τακσίους ἀπὸ τ' ἀδένους ταυτησὶ
 κινκλίδος τ' ἀπορήτων κυρίαν εἶναι,
 καὶ μὴ τὲς ἰδιώτας ἐπεισέναι· τὸ πρῶτον
 ἐξ ἀρείων πάντων βελίω, ὅταν εἰς τῆ βα-
 σιλείᾳ σοῦ καθεζομένη περιχοινίση-
 ται, καὶ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς
 εἶναι, καὶ ἅπαντας ἐκποδῶν ὑποχερεῖν.
 Quorum (inquit de ordinum
 maiestate agens) unum, atque al-
 terum dicam exempli causa, ea-
 que

que notissima. Primum, quod quum quingentorum virorum senatus ab istarum tenuium valuarum limite tantum secretiora tractandi ius habet, nec privato cuiquam licet tum illuc introire. Alterum, quod Ariopagiticus senatus quum in regia porticu confederit, (locus erat Athenis) congregatusque omnino fuerit, alto silentio illic esse, atq; omnes secedere necesse est. ἀπεχονίζεσθαι contrariæ est significationis. nam expellere; proscribereque significat: quod idem orator in eadem adversus Aristogitonem oratione aperit, vocans ἀριστογειτόνα πᾶσι τοῖς ἐπὶ τῇ πόλει δίκαιοις ἀπεχονισμῶν, cui omni civitatis iure est interdictum. Verum quia Budæus de eius significationis varietate in commentariis linguæ Græcæ egit, de illo dicere amplius supersedeo. πρὶ ἐξηγητῶν. i. de aruspibus de cælo ser-

vantibus, deque magistratibus res sacras, ludos, mysteriaque administrantibus hic egeram, sed quia erant parum apta illa hoc in loco, visum est ea in opus aliud differre.

CAP. XIX.

De Novemviris una, quos ἄρχοντας Græci, id est, Principes dicunt.

CELERRIMI Athenis Cerant οἱ ἑννεα ἄρχοντας, novem Principes, qui eligi in eam functionem non poterant nisi præstito hoc iureiurando, Esse tam à patre, quam à matre genere Athenienses, talesque iam ab abavis, abavisque, atque atavis agnosci. Rogabantur præterea αντόχθονες essent, id est, indigenæ, an à quibusdam aliis populis olim traxissent originem: quo d